

† R. P. Cornelius Damen (1881-1953)

(*Prov. Holl.*)



Vitam, cuius lineam principalem, scilicet cultum scientiae sacrae, etiam nostrorum temporum iniquitates et perturbationes non deflexerunt, degit R. P. Cornelius Damen.

Qui quidem die 13 Maii a. 1881 in urbis Amstelodami parte *Nieuwer-Amstel* e parentibus catholicis et piis ortus et in serie 10 infantium natus secundus, in domo patria prima religionis germina in cordis intima recepit a matre, quam sibi Veteris Testamenti facta narrasse et tempore morbi letiferi sibi novemno religiosam vocationem innuisse ipse postea recordabatur. Pater filio bonos libros dare et catechismi lectiones examinare solebat atque cum infantibus horis postmeridianis

Dominicarum ecclesias visitabat. Hac occasione Cornelius prima vice Redempto-

ristas vidisse videtur in via *Keizersgracht*. Anno decimo tertio ad propinquos in Rosendaal mittitur, ut in schola quadam catholica, postquam eousque scholam publicam non catholicam frequentaverat, ampliore formatione imbueretur.

A pia amita admonitus, cum confessario, nostro P. van Wayenburg, de vocatione eligenda collocutus est, qui viam in iuvenatum ducentem ei monstravit. Ibi a. 1894 receptus, illico felicem se sentiebat, et a. 1900 noviciatum ingressus, vota nuncupavit die 29 Sept. 1901. A. 1906 sacerdotio elatus, in Wittem ius canonicum et Ecclesiae historiam docere iussus est, donec a. 1911 Romam arcesit ut in Schola Maiore recens condita theologiam moralem traderet. A. 1914 in iure canonico apud Facultatem S. *Apollinaris* laureatus, primi magni belli tempore in Geistingen et Wittem munere fungebatur Lectoris theologiae moralis, asceticae, pastoralis et sociologiae. Bello finito usque ad annum 1921 Praefectus Fratr. cler. Batavorum, deinde iterum Romam ivit tamquam Praeses Collegii nostri Maioris.

Paulo post Professor theologiae moralis pastoralisque in Athenaeo Pontificio de Propaganda Fide nominatur. Vertentibus annis etiam ut Consultor Congregationibus de Propaganda Fide, Religiosorum, Seminariorum et Universitarum, Sacri Officii operam navabat.

Librum manuum theologiae moralis a nostro P. Aertnys exaratum et a se expoliturum tamquam officialem librum textus in Athenaeum de Propaganda Fide inducere ei contigit. Hoc certe probat, quantum valeat illud monumentum, quod sub Patris Damen cura numerus paginarum fere duplicatus est et tandem opus *Encyclopaedia* magis factum est quam liber manualis, sicut doctus quidam existimator iudicat in periodico *La Civiltà Cattolica*. Primario de hoc libro, sed etiam de multis articulis, quos defunctus in variis periodicis theologicis publicarat, necnon de innumeratis eius votis Rev. mus Dom. *Petrus Parente*, tunc temporis collega in Athenaeo de Prop. Fide, nunc insuper Canonicus Basilicae Vaticanae, in ephemeride *L'Osservatore Romano* scripsit: « Super fundamentum Manualis Patris Aertnys, P. Damen fere per totam vitam laboravit construens magnificentissimum illud monumentum doctrinae christianae, quod felix connubium est bonum sensum et aequilibratam Sancti Alfonsi inter et Batavam illam tenacem passionem rerum minutarum in cogitatis et dictis ». *Sulla base del manuale del P. Aertnys, il P. Damen ha lavorato per quasi tutta la vita a costruire questo magnifico monumento dottrinale, felice connubio del buon senso e dell'equilibrato criterio di S. Alfonso con la tenace passione fiamminga della miniatura di pensiero e di parola.*

De dotibus spiritus a parentibus acceptis et humane, christiane, religiose cultis idem collega asserit: « Animus tranquillus non autem frigidus, affectus profundi, mentis intelligentia illuminati atque aperti amicitiae et amoris naturae; mentis non obstinatae nec alias opiniones excludentis; voluntas recta firmaque nec rigida, proclivitas illuminata versus optimismum, naturalis aversio ab hypocrisi, certa pudica timiditas verbi et gestus ». *Temperamento calmo ma non freddo, sensi-*

*bilità profonda, illuminata di intelligenza e aperta all'amicizia ed all'amore della natura; ma non ostinata nè esclusivista nelle opinioni; volontà diritta e decisa ma non rigida, controllata tendenza all'ottimismo, istintiva avversione all'ipocrisia, una certa pudica timidezza di parola e di gesto.*

« Talis homo fiebat exemplar viri religiosi in sinu Congregationis suae et in omni condicione gratus amicus, qui omnium simul affectu et veneratione fruebatur. Animus ille fervidus et pacatus, in aëre alfonsiano Congregationis maturatus, totos mores eius penetrabat et magisterium reddebat apostolatum ». *Un uomo siffatto riusciva un modello di religioso in seno alla sua Congregazione e un simpatico amico in ogni ambiente, che riscuoteva da tutti affetto e venerazione insieme. Questa sua calda e pacata spiritualità, maturata nel clima alfonsiano della sua Congregazione, permeava tutta la sua condotta e faceva del suo magistero un apostolato.*

Anno 1947 senescens officio Decani Facultatis Theologicae in Athenaeo Pontificio, quod 14 annis obtinuerat, et munere Directoris Scholae Maioris Redemptoristarum destitit; sed in utroque instituto Professor mansit. Ultimis vitae annis iteratae leves apoplexiae, quarum primam tulit, dum in Athenaeo Pont. praelectionem habet, usum rationis aliquantum disturbaverunt. Forsan etiam huius rei optima est illa interpretatio, quam dedit Dom. Parente, sentiens, Deum quasi velo demisso eum a rebus terrenis magis separare voluisse ante mortem.

Tempore aestivo anni 1952 Superioribus opportunum visum est Patrem Damen in patriam redire, ubi pervigilium diei aeterni, qui solis occasum nescit, tranquille peregit. Diebus Martii huius anni nutritio infirmi difficillima fiebat et in nosocomium oppidi *Heerlen* translatus est, ubi die 18 eiusd. mensis terram cum coelo mutavit.

Multae epistulae consolatoriae virorum spectabilium nostris mittebantur. *Requiem* in Wittem ab Exc.mo Dom. Paulo Giobbe, Internuntio Apost., celebratum est. Romae Rev.mus P. Generalis Missam de Requite litavit, et tamquam sacri ministri astiterunt Rev.mus Dom. Wang, Sinensis. Subsecretarius Athenaei de Prop. Fide et A. R. P. Eduardus Wuenschel, Dir. Collegii Mai. nostri. Praesentia sua defunctum et Congregationem ab eo semper amatam honoraverunt Em.mus Cardinalis Ottaviani et Exc.mi Archiepus Messinensis Paino et Episcopi Batavi Smit et van Lierde, Legatus Neerlandicus apud Sanctam Sedem una cum sua uxore, magnus coetus confratrum et copiosa sacerdotum, religiosorum et fidelium turba.

Speramus etiam a Deo verum inventum esse iudicium illud Dom.i P. Parente: « Iuxta praeclarum opus eius typis impressum ille ipse erat vivus testis theologiae moralis et asceticae christianae ». *Accanto al suo apprezzato volume egli era un testo vivente di morale e di ascetica cristiana.*